

## IV.

OLIM ERAT DIFFERENTIA  
 INTER DECIMAS SÆCULARES ET ECCLE-  
 SIATICAS, PRÆCIPUE IN PUNCTO REPARA-  
 TIONIS ECCLESIAE.

**H**oc discrimen jam antiquissimis temporibus sese  
 exseruit; nam Decimæ ad Ecclesias spectan-  
 tes eo ipso, ac partem reddituum Ecclesiasticorum  
 efficiebant, mox etiam cum iis ut patrimonium  
 pauperum considerabantur. In quem finem non  
 raro Decimas expressè fuisse concessas apparet.  
 Vide Diplomata in GUDEN Tom. I. p. 5. & in  
 GUNDLINGII *hist. Henrici Aucupis* pag. 310. Hæc  
 perinde ac alia bona Ecclesiastica ad fabricam Ec-  
 clesiarum quæ scilicet Decimæ erant concessæ pro  
 parte erant impendendæ. Ita enim *Capitularium*  
*L. 7. Cap. 375.* Sonat: „instruendi sunt Presbyteri  
 „ pariterque admonendi, quatenus noverint De-  
 „ cimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt,  
 „ pauperum & hospitem & peregrinorum esse sti-  
 „ pendia, & non quasi suis, sed quasi commenda-  
 „ tis uti debere; de quibus omnibus sciant se ra-  
 „ tionem reddituros in conspectu divinæ Majesta-  
 „ tis, & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui-

„ bus præmissum est, administraverint, condem-  
 „ nationem patiendos. Qualiter verò dispensari de-  
 „ beant, Canones sacri instituunt. Scilicet ut qua-  
 „ tuor partes ex omnibus fiant, una ad fabricam  
 „ Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distri-  
 „ buenda, tertia Presbytero cum suis Clericis ha-  
 „ benda, quarta Episcopo reservanda. „ Quando  
 magnates in Capellis suis Decimas Dominicas sive  
 integras sive pro parte suis assignabant presbyteris,  
 hi eoipso ad reparandam eam obligabantur, quia  
 eoipso Decimæ, quatenus capellæ vel presbyteris  
 erant attributæ, naturam Decimæ Ecclesiasticæ as-  
 sumebant. Patet id è Concilio Meldensi de An. 845.  
 C. 75. ibi: *Si Capellas vestras, presbyteris aut Ec-  
 clesiasticis viris dederitis, & Dominicas Decimas  
 acceperint, facta tecta Ecclesia & luminaria ex-  
 inde provideant.* Postquam in bonis Ecclesiasticis  
 Precariæ erant constitutæ, bona hæc, utpote facile  
 ex capite indigentia propria revocabilia, & per  
 mortem possessoris ad Ecclesiam certò devolvenda  
 adhuc naturam bonorum verè Ecclesiasticorum re-  
 tinebant, unde & eorum possessoribus præter de-  
 cimas exinde ad Ecclesiam persolvendas onus Fa-  
 bricæ reparandæ incumbabat. Patet hoc non tar-  
 tum è CONCILIO FRANCKFORDIENSI de An. 784. C.

26. in BALUZ *Tom. 1. Capitular. p. 267.* & in GEORGISCH p. 593. ubi : *ut Domus Ecclesiarum & tegumenta ab eis fiant emendata vel restaurata, qui beneficia exinde habent.* Et CONCILIO MOGUNTINO de An. 813. C. 42. relato in Cap. 1. X. de Eccles. ædif. vel reparand. Sed etiam è Capitulari primo de An. 813. C. 24. *Ut, quisque beneficium Ecclesiasticum habet, ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias omninò adjuvent.* Et Capitulari *Wormat. de Ann. 829. C. 9. & lib. 4. Capit. 40. Conf. Diplomata in MABILLON vet. Analect. p. 293.* & in CALMET *hist. Lothar. Tom. 1. probat. p. 297.* vide THOMASSIN *de veter. & nov. Eccles. Discipl. part. 3. lib. 2. cap. 22.* & seqq. ubi pluribus probationibus hoc thema illustrat. Ex his omnibus igitur sat clarum credo erit, eos, qui Decimas Ecclesiasticas percipiebant, aut bona Ecclesiastica in Precarias habebant, ad Ecclesias reparandas præferenter fuisse obligatos. Alii, qui Decimas Sæculares aut redditus, vel bona non Ecclesiastica possidebant, ad reparationem Ecclesiæ non specialiter obligabantur, sed tantùm redditibus & Decimis Ecclesiasticis deficientibus perinde ac ad aliud opus publicum perficiendum concurrebant. Patet id clarissimè ex iis, quæ meditatione primâ adducta sunt, quod scilicet

cet decimæ Regale s, indominicatæ & falicæ nullatenus authoritatem Ecclesiasticam attigerint; cum queis combinari oportet id, quod in MONACHO SANCT-GALLENSI *L. I. C. 32.* legitur, ubi ait: „quod  
„ si novæ fuissent instituendæ Ecclesiæ, omnes Episcopi, Duces & Comites, Abbates etiam vel  
„ quicunque Regalibus Ecclesiis præsidentes cum  
„ universis, qui publica sunt consecuti beneficia,  
„ à fundamentis usque ad Culmen instantissimo  
„ labore perduxerunt. „ Hoc nihil singulare fuisse, sed eodem modo circa exstruenda alia opera publica concursum fuisse præstitum ad oculum patescit, si conferamus, quod idem AUTHOR scribit in verbis. „A Majoribus autem laboribus nullus Ducum vel Comitum, nullus Episcoporum vel  
„ Abbatum excusaretur aliquo modo. Cujus rei testes sunt adhuc arcæ Pontis Magonciacensis, quem tota Europa communi quidem, sed ordinatissimæ participationis opere perfecit. „ Queis omnibus jam conficitur, olim Decimas Ecclesiasticas inter & sæculares viguisse differentiam, præcipuè, quando de obligatione ad reparandam Ecclesiam quæstio movebatur.